



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Sol Triplex In Eodem Universo

Hermann, Amand

Sultzbaci, 1676

Disputatio Unica. De Motu.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95850](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95850)



LIBER III.

DE MOTU.



Abolutis & declaratis Principiis, naturâ, causisq; corporis naturalis aggreditur Aristoteles ad principalem ejus affectionem & proprietatem explicandam, quod etiam præstat tam in hoc, quam in quinto & septimo Libro, ita quod magis Aristotelicè fieret, si etiam disputando in hanc materiam in plures divideretur tractatus, verùm, licet conatus sim semper methodum ejus imitari, puto tamen materiæ unitatem ab obligatione hac dispensaturam, ut omne illud, quod de motu sparsim docet, hic collectim examinetur, quod etiam unicâ præstabo disputatione. Sit igitur

DISPUTATIO UNICA.

DE MOTU.

QUÆSTIO I.

Quid sit Motus?

I.
Triplex circumfertur definitio motus.

In Motus descriptione & definitione exactam adhibuisse diligentiam monstrat eandem pluralitas, triplex enim fertur communiter proposita ab eo, quæ, cum non nisi terminis inter se differant, explicandi se, motusq; notionem cupiditate factum esse credendum est: Primam itaque proponit cap. 2. hict. 6. *Quod sit actus entis in potentia, prout in potentia est, secundum communiorum versionem, quam alii sic vertunt, quod sit actus ejus, quod in potentia est, quatenus tale est.* Secundam in eodem cap. t. 16. *Motus est actus ejus rei, quæ vim habet, ut moveatur, quatenus eam vim habet, seu: motus est actus mobilis, ut mobile est.* Tertiam verò tradit cap. 3. t. 36. dicens: *Motus est actus ejus, quod agere & pati potest, quatenus tale est.* Circa quas definitiones electio est, quanam amplecti possit & debeat? fateor omnes valere, sed primam, præcisè propter hoc, quod sic ab aliis fiat ordinariè, tenendam, quare

II.
Acceptatur prima.

Dico I. *Prima definitio supra posita describit bene motum.* Hæc nulla indiget probatione bene sedulâ explicatione, quam secundum aliorum captum faciam. Dicitur itaque quod motus sit actus, qui rationem generis habet, significatq; ipsam actualem actuacionem, per quam in subiecto recipitur aliqua forma, quare etiam dicitur actus imperfectus, ex eo, quod de se respiciat adhuc aliam formam per modum termini perfectivi, hinc t. 6. sup. cit. Aristoteles: *Ejus*

quidem, quod potentia existit actus, quatenus huiusmodi motus est, ut alterabilis quidem, quatenus alterabile, alteratio &c. t. 11. Edificabilis actus, quatenus edificabile, edificatio: & .j. Phy. t. 5. Non est albedo motus, sed dealbatio.

Dices: Exemplaria Græca, ubi nostra versio habet actus, habent *endelechia*, sed *endelechia* significat idem, quod actum perfectum; ergo motus non erit actus imperfectus. R. 1. Græca non equaliter habent loco actus *endelechia*, nam quædam habent *Energia*, ut vertit Simplicius; *Energia* autem significat actum imperfectum. Deinde respondeo secundo; *Endelechiam* propriè sumptam significare actum perfectum, non tamen si sumatur in paulò laxiori acceptatione, nam sic potest sumi tam pro actu perfecto, quam imperfecto, nec hoc novum videri debet, nam generatio, quæ est via ad naturam 2. *Phys.* t. 14. vocatur ipsa natura, sic motus, qui est ipsa forma, acquisitio, *Endelechia* vocari potest. Tertio: Motus non est actus simpliciter imperfectus, sed tantum secundum quid. Imò etiam perfectus absolute dici potest tunc, quando iam denominat subiectum ultimæ actuacionis, per formam, tanquam per terminum, postquam cessat illa via & tendentia, in quo statu subiectum dicitur esse subesse quieto, nam, ut vulgo dicitur, præsentibus habitibus cessat motus.

Alterâ particula in definitione est *in potentia*, id est, subiecti potentis formam recipere, ad quam est motus. In hac particula signanter dixit Aristoteles *entis* & non *corporei*, cum

tum, quia ad multa & in multis datur motus, quae corpora non sunt, ut est materia prima, quae movetur ad formam substantialem, &c.

V. Dices: Implicat, ut aliquid sit actus & etiam sit in potentia; ergo, si motus est actus, non potest esse entis in potentia. Respondeo negando ant. Nam idem, quod est in actu, potest esse in potentia simul sub diversa ratione, sic aqua dicitur sub actu frigoris, dum frigida est, & tamen est in potentia quoque, ut sit calida, deinde respectu diversorum temporum, Quando autem motus dicitur actus entis in potentia, non intelligitur actus perfectus, respectu cuius est in potentia, sed actus imperfectus, qui est via & tendentia, formalisque acquisitio actus perfecti.

VI. Ultima particula exprimit rationem formalem ipsius motus, ita ac si diceret: motus est actus entis in potentia, quatenus est in potentia, ut si quis diceret: Calefactio est actus ligni calefactibilis non quatenus est lignum, sed quatenus est calefactibile, id est, in quantum potest calefieri, ac per hoc bene exprimitur terminus ad quem est motus, sicut per priorem particulam exprimebatur terminus a quo, seu privatio calefactionis praecedens, nam cum motus sit relatio formaliter, non potuit melius explicari, quam per ordinem ad sua extrema, sicut quicumque alius respectus. Sed in contra

VII. Arguitur: Si motus esset actus mobilis, mobile esset in potentia ad ipsum, omne enim perfectibile & determinabile per aliquem actum, est in potentia ad illum actum, quia potest determinari per illum, sed si in potentia est ad illum, potest moveri ad ipsum, & sic ad motum dabitur motus, & sic processus in infinitum, quod absurdum est; ergo motus non erit actus mobilis. R. dist. minorem pro prima parte, potest moveri ad ipsum per alium motum, nego min. seipso, concedo mi. pro prima parte, & nego eandem pro secunda cum consequentia. Itaque sicut agens principiat actionem, non per aliam actionem distinctam, quia actio seipsa egreditur ab illo, ita etiam mobile movetur ad motum, non per alium motum, sed per ipsum motum, quo movetur.

Instatur: Si mobile movetur ad motum seipso; ergo etiam seipso actuatur, & non per aliam formam, probatur sequela, quia omne mobile actuatur per actum, sed motus est actus; ergo etiam actuatur per ipsum. R. dist. sequelam; actuatur seipso per motum egredientem a quaestione proprie dicta, nego sequelam: actione improprie dicta, concedo sequelam, similiter distinguo majorem & minorem probationis, & nego consequentiam.

Urgetur: Omnis actus proprie actuatur, sicut omnis potentia constituit aliquid in esse potentiae & subjecti, sed motus est actus; ergo proprie actuatur. Verum respondeo dist. ma. omnis actus perfectus, & completus proprie actuatur, concedo ma. omnis actus imperfectus & incompletus, nego ma. & distinguo similiter min. Motus est actus perfectus & completus, nego min. incompletus & imperfectus, concedo

mi. & nego consequentiam. Itaque omnis actus perfectus & completus, qui cum forma convertitur, perfecte actuatur, non vero incompletus, qualis est quicumque respectus rationis & motus, hi etenim non actuatur, nisi formaliter, id est, in quantum sunt rationes formales ponendi formam completam in subjecto, quod erat capax recipiendi formam.

Hucusque Aristotelis expendi definitionem, quia tamen ex illa non sufficienter liquet, quid nam ille actus entis in potentia, pro ut in potentia est, dicat, operae pretium est, illud quoque examinare, & quidem Authores suas desuper instituant disputationes, diversasque adferunt opiniones, quibus omnibus omisis, veluti ad rem non ita pertinentibus

Dico 2. Motus Physicus formaliter sumptus est acquisitio formae, ejuus successio in subjecto post terminum a quo, ad terminum ad quem. Ita Doctor 4. d. 11. q. 1. & d. 43. q. 1. quem sequuntur sui communiter & plures alii.

Probatur Conclusio primo, Autoritate tum Divi Bernardi, Sermon 31. in Cant. ubi ait: Omne enim, quod mutatur (supple est) dum de uno ad aliud transit, similia habet D. Gregorius 5. Moralium, ubi ait: Mutari esse, ex alio in aliud ire, sed per transitum nihil aliud intelligitur, nisi successio, per ly de uno terminus a quo; per ly ad aliud vero, terminus ad quem; ergo motus formaliter aliud non dicit, quam successione post terminum a quo, ad terminum ad quem: tum Aristotelis, qui 6. Physicor. 32. ait: mutari aliud non esse, quam aliter se habere nunc, quam prius: Nec refert, quod non omnis mutatio motus sit Physicus, quia omnis motus mutatio tamen est.

Probatur etiam ratione, tum, quia mobile tunc dicitur formaliter moveri, quando post terminum a quo succedit terminus ad quem; ergo motus non est aliud, quam talis successio: Tum, quia nihil aliud congruentius assignari potest, ergo: probatur ant. quia illud deberet esse vel ipsa forma, vel forma cum acquisitione simul, neutrum est: ergo: ma. est Adversariorum plurium, penes alios dicendi modos, probatur min. quoad primam partem, tum, quia forma est illa, quae acquiritur per motum, tum, quia motus dividitur in instantaneum & successivum, velocem & tardum, sed forma non sic dividitur, ergo. Neque secundum, quia forma cum acquisitione est aliquid unum per accidens; ergo motus non potest pro forma dicere utrumque.

Dixi in Conclusionem notanter: Motus Physicus, qualem intelligo cum esse, qui sit connaturaliter per causas secundas, quia motus, qui fieret supernaturaliter per Deum, non requirit successione in subjecto, sed praecise successione post terminum a quo, ad terminum ad quem. Item dixi: formaliter sumptus, quia si motus materialiter & fundamentaliter sumatur, tunc verum est, quod importet ipsam formam, quae per motum formalem acquiritur, per quae, si bene notata fuerint, solvi poterunt multae objectiones tam ex Autoritate, quam ex ratione. Sed in contra

Arguatur:

VIII.

IX.

Motus Physicus formaliter est acquisitio.

X.

XI.

XII.
Argumentum in contrarium.

Arguitur: Nulla passio corporis naturalis potest esse relatio, sed successio illa post terminum a quo ad terminum ad quem est relatio; ergo motus, quia est prima & principalis passio corporis, non consistet in illa successione; probatur ma. quia passiones debent emanare a corpore, omne autem, quod emanat ab alio, non est minus perfectum illo, a quo emanat, ut patet de intellectu & voluntate, ergo. Sed respondeo dist. ma. Nulla passio potest esse relatio actualis & accidentaliter separabilis, concedo ma. non potest esse relatio aptitudinalis & transcendentalis, nego ma. Imo quasi omnes passiones & potentiae, formaliter consideratae, sunt tales relationes: Et hinc concessa mi. nego suppositum consequ. quia supponitur, quod motus sit passio, cum non sit, sed mobilitas, seu aptitudo ad movendum se ad formam sibi consentaneam, & consequenter etiam ad motum, tanquam id, per quod acquiritur forma.

Instatur: Per motum actualem etiam corpus aliquid alteratur, sed per nullam relationem aliquid proprie alteratur; ergo motus non erit relatio: probatur min. quia omnis alteratio fit secundum qualitatem, sicut augmentatio, secundum quantitatem, & generatio secundum substantiam, sed relatio non est qualitas; ergo per relationem nihil alteratur. Respondeo dist. min. motum actualem aliquid corpus alteratur, tanquam per rationem formalem per modum termini alterantis, nego ma. tanquam per rationem acquirendi terminum alterantem, concedo ma. & distincta similiter min. nego consequentiam, per quam patet adhuc, quid dicendum sit ad probationem. Itaque quando aliquid corpus alteratur, id quidem fit per qualitatem primario & principaliter, per motum autem fit, tanquam per rationem acquirendi istam qualitatem.

XIII.
Secundum.

Arguitur 2. In illo formaliter debet consistere motus, cui formaliter convenit definitio, sed haec convenit ipsis formis, tam substantialibus, quam accidentalibus; ergo motus non est aliquid distinctum ab ipsis formis: probatur min. quia major patet: quia Anima signanter definitur, quod sit actus corporis organici potentia vitam habentis, sed eadem est ratio de omnibus aliis, tam substantialibus, quam accidentalibus, ergo. R. negando min. cuius probationem dist. Anima est actus & c. perfectus & completus, non relinquens subiectum adhuc actuabile, concedo ma. sic relinquens ex eo, quod esset actus imperfectus & incompletus, nego ma. Itaque omnes formae, tam substantiales, quam accidentales sunt actus, sed perfecti & completi, qui dum actuant, ita subiectum exhauriunt, ut ipsum in potentia non relinquunt. Sed

Instatur: Quando intenduntur qualitates, priores gradus actuant subiectum, ut ipsum adhuc in potentia relinquunt ad posteriores, sed qualitates sunt formae perfectae & completae, secundum quemlibet gradum; ergo etiam actus completi ita actuant, ut subiectum adhuc in potentia relinquunt: probatur ma. quia quando calor introducit in gradu sexto,

quando introductus est gradus secundus, subiectum vere actuatur, & tamen tunc adhuc in potentia est ad gradus subsequentes, ergo. R. distinguendo ma. Quando intenduntur qualitates priores gradus actuant in aequali imperfectione, nego ma. secundum maiorem perfectionem, concedo ma. & concessa min. nego consequentiam. Itaque motus, actuando subiectum, non facit, nisi per modum formalis acquisitionis, gradus autem illi qualitatis non per modum acquisitionis formalis, sed per modum termini actuant, ita, ut licet non exhauriant totam potentiam, exhauriunt tamen quoad illos gradus.

QUAESTIO II

An data definitio Aristotelis conveniat omni motui?

Procedit haec quaestio de motu tantummodo Physico, non vero de eo, qui divinitus fit, sed dum aliquid per creationem de non esse ad esse transit sine dependentia ad subiectum, huic enim, certum est, non convenire. Motus vero Physici & a subiecto dependentes varii sunt, nam alii sunt acquisitivi, alii deperdivivi: acquisitivi sunt, qui a negatione formae in subiecto immediate procedente ad eandem formam transeunt, dicunturque positivi: alii deperdivivi, qui & negativi vocantur, sunt, quando fit transitus a forma ad negationem ejus. Alii iterum sunt successivi, alii instantanei, hi in instanti acquirunt suum terminum; alii vero per successionem temporis. Alii, deinde sunt naturales, violenti & neutri, primi sunt cum inclinatione subiecti, secundi contra inclinationem ejusdem, ultimi vero nec contra, nec cum inclinatione. Alii denique sunt artificiales, alii naturales, alii animales, dum anima per suas potentias movet se, ad eliciendas volitiones, intellectiones & sensationes. De his omnibus quaeritur, an definitio Aristotelis supra data ipsis conveniat? Cui quaestio breviter satisfaciendo

Dico: Definitio motus ad Aristotelem tradita convenit, non modo successivo, sed etiam instantaneo, naturali, violento & neutro, ipsisque operationibus animalium. Ita Doctor 2. d. 12. q. 1. quem sequuntur sui communiter, sicut etiam Recentiores, Hurtadus, Ruvius, Arriaga, Caraffa, Compt. & de motu successivo nulla est difficultas.

Probatur ergo de motu instantaneo primo, Authoritate Aristotelis t. 4. ubi, postquam definiisset motum, recenset eas, quae moventur, dicens: Mutatur enim simpliciter id, quod mutatur, aut secundum substantiam, aut secundum quantitatem, aut secundum qualitatem, aut secundum ubi, sed generatio est mutatio secundum substantiam, hinc in instanti, ergo definitio motus convenit etiam generationi & motui instantaneo; Nec juvat dicere, Aristotelem per generationem intelligere ipsam alterationem in quantum praecedat generationem, quia alterationis terminus tantum debet esse qualitas, generationis vero substantia, & licet praecedat generationem, nunquam tamen attingit terminum principalem ejus.

Probat

Probatur secundò eadem pars.

Aristoteles cum definiuit motum, cuius naturam dixerat esse principium, sed natura est principium non modò motus successivi, sed etiam instantanei; ergò etiam instantaneus hic definitur: patet mi. quia natura est principium generationis, corruptionis, & actuum animaliticorum tam bene, ac est qualitatium, ergò.

Probatur tertio: Motus, quo move-

tur aer in instanti ad lumen, corpus ad animam, & materia ad formas substantiales, est actus imperfectus entis in potentia, ut in potentia; ergò sunt veri motus; probatur aut. quia isti actus sunt ex se insufficientes ad actuandum, & essentialitèr ordinati ad ulteriorem terminum; ergò sunt actus imperfecti entis in potentia, ut in potentia.

Probatur Conclusio de Motu

deperditivo: Quia subjectum per aliquem actum imperfectum est in potentia non modò ad formam, sed etiam ad privationem ejus, quia licet non sit in potentia ad ulteriorem actum, est tamen in potentia ab actu perfecto ad nullum actum. Deinde, motus violentus est similiter actus imperfectus entis in potentia, id est, in capacitate ad recipiendam illam formam contrariam, quamvis non sit in potentia, prout dicit inclinacionem. Operationes denique animalitice motus quoque dici possunt, quia anima verè per illas actuatur, suntq; naturales, & probabiliter producuntur per actiones distinctas.

Dices: Operationes animalitice sunt

actus entis existentis in actu & non in potentia; ergò operationes istæ motus dici nequeunt. R. Operationes animalitice esse actus entis in actu, si considerentur ipsimet actus vitales, qui per motum acquiruntur, non verò, si intelliguntur motus, per quos operationes illæ acquiruntur. Itaque licet ipsimet producantur à potentis effectivè, hoc non obstat, quo minus motus dici possint, nam etiam aqua se reducit ad pristinum frigus, grave deorsum per veros motus, ergò. Per hoc patet, quomodò respondendum sit in forma, scilicet distinguendum esse tam antecedens, quam consequens. Sed contra motum instantaneum

Arguitur: Motus definitus debet ens,

seu subjectum partim relinquere in actu, & partim in potentia, id est, quòd pars aliqua sit actuata, & pars subjecti non sit actuata, sed motus instantaneus hoc non facit, ergò: probatur mi. quia motus instantaneus totum simul ponit, nihilquè relinquit, quod non actnet, ergò. R. dist. ma. Motus definitus debet relinquere subjectum partim in potentia, & partim in actu, ita, quòd per motum non actuatur complete, sed petat adhuc ulterius actuari per terminum ad quem, concedo ma. ita, quòd ipsum subjectum relinquatur sub parte termini acquisiti, & sub alia parte acquirendi, nego ma. & distinctà similiter mi. nego consequentiam. Quia, ut supra dixi, motus non actuatur per formæ receptionem & subjectationem, sed in quantum est ratio formalis, quare forma dicatur acquiri, unde nec in motu successivo relinquit partem actuatam & partem actuandam, sed per quemcunque

F. Amandi Hermann Physica.

gradum formæ actuatur partem formæ & alteram partem relinquit actuandam per alium gradum formæ, exemplifico: debet in subjectum introduci calor ut sex, productis tribus gradibus in subjecto, motus non relinquit capacitatem pro tribus gradibus in potentia, sed totalitèr constituit sub actu, relinquit tamen in potentia, seu capacitate pro reliquis tribus gradibus, quos agens, suppono, potest introducere; Ratio est, quia quilibet gradus caloris est ejusdem rationis cum alio, & etiam cum ultimo & supremo, sed ultimus non relinquit rem inactuam; ergò nec relinquet primus vel secundus.

Instatur: Si quilibet gradus actuaret,

sequeretur, quòd indivisibilia motus essent motus, sed hoc dici nequit, ergò: probatur ma. Quia sicut se habet unus gradus ad alium gradum & ad totum calorem, sic se habet unum instans ad aliud & ad omnia reliqua, ergò: probatur aut. quia eodem modo per instans aliquid acquiritur, ergò. R. negando sequelam ma. cum probatione sua, quia instantia non sunt, nisi termini copulantes, adeoq; non habent se, sicut aliæ formæ divisibiles. Deinde si etiam essent aliquæ formæ, concedendum esset, quòd possent moveri etiam in instanti, hoc tamen non esset contra conclusionem, quæ admittit motum instantaneum verum esse motum.

QUÆSTIO III.

An Motus à subjecto, termino, actione & passione distinguatur?

Solet hic antecedentèr examinari,

quodnam sit subjectum motus, suppono tamen, tanquam certum, cum communi sententia, esse subjectum ipsum contra Soncinam & Fonseca, ratio facilis est, quia forma debet subjectari in illo, quod denominat, sed motus est forma denominans mobile moveri, ergò: Nec refert, quòd mobile actuali motu acquirat formam aliquam intrinsecam & absolutam, quia est relativa, quæ sufficit, ut mobile denominare possit. Hoc supposito ad quæstionem

DICO: Motus realitèr distinguitur à subjecto,

termino, actione & passione. Est Scoti 2. d. 13. q. 7. &c.

Probatur prima pars: Quia potest

in rerum natura existere agens, verbi gratià, ignis, & subjectum, verbi gratià, aqua, & terminus per motum acquisibilis, verbi gratià, calor, quin aqua moveatur ad calorem; ergò motus, quo aqua movetur ad calorem distinguitur à subjecto, agente & termino, quæ probatio, licet communis sit, est tamen optima, quia universalitèr distinctionem colligere licet ex separationem aliquorum, sive illa mutua sit, sive non.

Probatur secundò: Omnis motus

aut est instantaneus, aut successivus; ergò motus distinguitur à subjecto & termino: probatur consequentia, omnia prædicata alicui convenientia competunt cuicumque identificato sibi, sed hæc prædicata non competunt subjecto & termino; ergò subjectum & terminus à motu distinguuntur; probatur mi. quia nec forma, nec

Ooo subje-

II. Motus distinguitur à subjecto & termino.

subjectum est quid successivum, sed omnino permanens: ergo. Eodem modo potest aliquis arguere ex alia divisione accidentali motus in velocem & tardum; & ultimo Confirmatur: ad motum non datur motus, ad terminum datur motus; ergo motus & terminus distinguuntur. Ad motum autem non dari motum probat Aristoteles à pari ex eo, quod ad actionem & passionem non datur actio & passio, unde dum s. Phys. t. 10. ait: ad Actionem & passionem non esse motum, quia ad motum non est motus, propositio non est causalis, sed tantum comparativa, id est, sicut ad motum non est motus, ita nec ad actionem actio.

III. Probatur Conclusio etiam

de actione & passione, quod à motu distinguuntur. Quia actio & motus sunt in diversis subjectis, actio enim est in agente, motus verò in subjecto, quod transit à non esse formæ ad esse formæ. Deinde, actio & passio sunt receptus simpliciter reales, motus verò tantum secundum quid, cum ipsius extrema non simul existant.

Tertio: Actio & passio possunt esse sine motu; ergo motus non est actio vel passio; probatur ant. quando subjectum non precederet tempore formam, daretur actio ad formam & non daretur motus, quia non esset successio termini ad quem post terminum à quo.

IV.

*Argumentum
suum in con-
trarium.*

Arguitur: Sequeretur, quod mobile moveretur duplici motu, sed hoc est inconveniens dicere, ergo: probatur sequela, quia moveretur ad terminum, ut est certum; & moveretur etiam ad motum, qui est distinctus à termino; ergo moveretur duplici motu, cum duplicem acquireret realitatem. *negando sequelam, cujus probationem distingo pro secunda parte, moveretur ad motum per alium motum, nego ant. seipso, concedo, unde licet essent ibi duæ realitates, una tamen esset tantum motus, altera verò esset terminus acquisitus per motum.*

Instatur: Eo ipso, quo acquirit mobile aliquam realitatem, quam antè non habuit, movetur, quia eo ipso, quod aqua habeat calorem, quem antè non habuit, movetur ad calorem; ergo etiam eo ipso, quo habet motum, quem antè non habuit, movetur ad eum; ergo movetur duplici motu. *neg. dist. ant. ita ut omnis realitas jam habita, & antè non habita tribuat ipsi denominationem moti, formaliter loquendo, nego ant. ita, ut quoties sit realitas aliqua jam habita & antè non habita, mobile verè moveatur & sit aliquid, à quo habet denominationem illam moti, concedo ant. & similiter distinguendo primum consequens, nego ultimam consequentiam. Itaque quamvis aqua, quando habet calorem, de novo necessario moveatur, tamen non necessario movetur per ipsum calorem, formaliter & proxime loquendo, sed movetur per aliquid aliud ad calorem, scilicet per ipsum*

motum.

QUÆSTIO IV.

Unde desumatur unitas specifica & numerica motus?

Certum est, quod motus, sicut & quæcunque alia res ex natura sua & entitate habet tam specificam, quam numericam unitatem, quia tamen rerum naturæ difficile explicatur sine ordine ad extrinsecam, idè in hac questione queritur per ordinem, ad quæ extrema possit colligi unitas, vel distinctio motus? Quod ut melius intelligatur, Notandum primò, ad motum plura requiri, nempe mobile, terminum à quo & ad quem, modum tenendi, tempus, ipsum movens, &c. Secundò terminum à quo esse illum, à quo recedit motus, sicut terminus ad quem ipse est, ad quem accedit, quorum uterque duplex est, per se & per accidens, seu positivus & negativus, qui omnes quatuor in quolibet & motu Physico concurrunt, verbi gratia, quando materia ligni transit ad formam ignis, forma ignis est, quæ acquiritur, forma ligni est, quæ deperditur & utraque habet suam privationem, forma ignis immediatè precedentem, & forma ligni immediatè sequentem, forma ignis est terminus ad quem per se & proximus, privatio ejus immediatè precedens est terminus à quo per se & proximus: forma ligni est terminus à quo per accidens & remotus, & privatio ejus est terminus ad quem per accidens. Et hoc in quocunque alio motu demonstrari potest, ut quando subjectum transit de frigore in calorem, de albedine ad nigredinem, de loco ad locum, &c. in his enim semper inveniuntur isti quatuor termini. De quibus ergo etiam controvertitur, à quonam desumatur specificatio motus; Et in hac materia, sicut fieri assolet, variae, diversæq; sunt sententiæ, nam aliqui putant, motum specificari posse per terminum à quo positivum, alii per solum terminum ad quem, alii per motorem, alii per tempus, alii per subjectum &c. Et quidem motus diversificari possit per subjectum, videtur mihi, non esse defendere difficile, nam motus, quo homo movetur ad calorem, videtur essentialem ordinem dicere ad hominem, ut non possit esse motus leonis, aut alterius subjecti, nec motus leonis possit esse motus hominis, licet haberent eosdem terminos tam à quibus, quam ad quos. Similiter ex diversitate motoris videtur motus diversitas colligi posse, maxime si daretur aliquid agens, quod posset movere determinatis motibus, quibus non posset movere aliud agens diversæ speciei, ex eo, quod tunc diceret essentialem ordinem ad aliquos motus, ad quos non diceret aliud agens. Verùm quidquid sit de hac re, existimo in re tam dubia, à communi non esse recedendum: quare

Dico I. Motus non solum specificatur per terminum ad quem, sed per terminum à quo per se sumptus. Hæc est conformis Scoto, dictisq; in Logica de relationibus, & prima pars extra omnem dubium est; secunda proinde probatur: Motus ex sua entitate est relatio, sed omnis relatio specificatur à suis extremis; ergo motus specificatur tam bonè per terminum ad quem, quam à quo, cum

cum sint eius extrema: probatur min. per illos terminos motus specificatur simul, quos aequaliter respicit, sed aequaliter respicit extrema, ergo. Nec juvat dicere, motum quidem respicere utrumque; extremum, sed terminum ad quem tantum per modum formae, & sic ab illa etiam solummodo specificari. Non valet, inquam, quia nulla est ratio, quare respiciat terminum ad quem per modum formae potius, quam terminum a quo, si enim esset aliqua, tunc forte, quia intrinsece eum respicit; sed terminum a quo aequè intrinsece respicit, ergo.

Arguitur: Motus, si habeant specie diversos terminos a quibus, dummodo habeant eundem specie terminum ad quem, sunt ejusdem speciei & contra, licet haberent eundem terminum a quo, dummodo haberent specie diversos terminos ad quos, essent diversae speciei; ergo motus specificatur tantum per terminum ad quem, & nullo modo a quo; probatur ant. quia dealbationes duae possunt habere diversos terminos a quibus, verbi gratia, una virendinem & altera rubedinem, & tamen sunt ejusdem speciei, sicut ipse docet Aristoteles. Et e contra, possunt aliqua transire, ex albedine ad virendinem, & ex albedine ad rubedinem in quo casu esset idem terminus a quo & tamen essent diversi motus, propter solos terminos ad quos distinctos. Sed huius argumenti communis & facilis est solutio, unde respondeo dist. ant. Etiam si habeant diversos terminos a quibus proximos, per se & negativos, nego ant. diversos terminos remotos, per accidens & positivos, concedo ant. & nego consequentiam. Sic quando duae albedines a virendine & rubedine transeunt, viredo & rubedo respectu dealbationum sunt termini per accidens, nam licet hi nunquam praecessissent, potuissent esse eadem dealbationes, quare termini, a quibus specificantur dealbationes, sunt ipse negationes albedinum, sine quibus non possent fieri dealbationes, haec autem negationes albedinum, quia sunt ejusdem speciei, sicut etiam ipse albedines, ideo etiam motus sunt ejusdem speciei.

Instatur: Ab illo motus sumit specificationem, a quo desumit suam denominationem, sed non sumit denominationem a termino a quo, ergo: probatur mi. motus dealbationis sumit denominationem ab albedine, localis a loco, augmentationis ab augmento quantitatis, qui sunt termini ad quos, ergo. R. I. Negando mi. universaliter, nam corruptio substantialis dicitur talis, non a termino ad quem, qui est negatio, sed a termino a quo, qui est substantia. R. 2. negando ma. Nam quod motus sumat specificationem, est ex natura rei, quod autem sumat denominationem, hoc est tantum ex beneplacito Philosophorum, qui majoris expressionis gratia, ab hoc termino potius, quam ab illo sumperunt denominationem.

Urgetur: Quod non est, non potest ens reale specificare, sed terminus a quo negativus non est, ergo: probatur min. quia quando motus fit, terminus a quo evanescit, ergo: major etiam patet, quia specificatio debet a permanente desumi. R. dist. ma. Quod non est, non potest specificare ens reale, absolute perfectum,

F. Amandi Hermann Physica.

concedo ma. ens secundum quid reale & imperfectum, nego ma. & concessa mi. nego consequentiam. Itaque terminus a quo sic dat specificationem motui, quemadmodum ipsi dat esse; Esse autem motus est tantum secundum quid, adeoq; etiam specificabitur tantum secundum quid, juxta commune axioma: quidquid est simpliciter in entibus simpliciter realibus, est etiam secundum quid in ente secundum quid, cum ergo unitas specifica realis sit simpliciter in ente reali, etiam secundum quid erit in ente secundum quid reale. Sed

Dico 2. Ad unitatem numericam motus requiritur unitas numerica mobilis & termini ad quem. Ita Doctor 4. d. 43. q. 2. & alibi.

Probatur prima pars: Idem numero accidens, maxime respectivum, non potest transire de subiecto in subiectum, nec etiam potest simul reperiri in duobus subiectis, sed motus est accidens respectivum mobilis; ergo non potest transire de subiecto in subiectum, quod tamen contingeret, nisi requireretur unitas numerica mobilis.

Dices: Si canis vivus dejiciatur de turri, etiam ante medium moritur, nihilominus continuo & unico motu descendit & cadit, sed tunc non est idem mobile; ergo ad unitatem numericam non requiritur idem mobile, ut patet, cum aliud sit mobile canis, aliud cadaver canis; ergo: quod confirmatur alia manifesta experientia, nam ex arbore abscindi potest partim viridis & vivens ramus & ex parte aridus, sed tunc non est idem mobile, & tamen eodem motu caderet & descenderet deorsum, ergo. Sed respondeo negando mi. quia tam in virga, quam in cane, manet idem subiectum immediatum, nempe compositum ex materia prima & forma corporeitatis, quamvis non maneat idem subiectum denominationis.

Instabis: Homo deambulando unicum habet motum, & tamen non est idem mobile, etiam secundum compositum ex materia & forma corporeitatis, quia dum unus pes movetur, alter quiescit, & sic est de quocunque alio animalis progressivo motu. R. dist. ant. Habet unicum motum simplicem, nego ant. ex pluribus partialibus intermixtis quietibus compositum, concedo ant. Verum

Probatur Conclusio pro secunda parte: Quia terminus ad quem est principalis in motu, & ab ipso maxime specificatur motus; ergo si requiritur unitas numerica mobilis, etiam requireretur termini ad quem.

Dico 3. Ad unitatem numericam motus, non requiritur unitas temporis, neq; motoris. Et etiam Doctoris.

Probatur prima pars: Quia motus nullam dicit dependentiam ad tempus extrinsecum, nec est assignabile aliquid, quare motus haberet sic necessariam connexionem cum tempore, nam si esset idem mobile, ut ait Philosophus 5. Phys. l. 36. & eadem rediret sanitas, rediret quoque eadem mutatio, quamvis in alio tempore, ergo.

000 2

Dices:

IV. Ad unitatem numericam motus requiritur unitas numerica mobilis & termini ad quem.

V.

VI.

Non tamen unitas temporis vel motoris.

VII. **Dices:** Si semel tempus interrumpatur per cessationem motus, etiamsi parum tantum mobile quiescat, si iterum incipit moveri, tunc non eodem amplius motu, sed movetur alio, quia motus præteritus jam omnino præterit; ergo requiritur unitas temporis. *æ.* quod quamvis defecto sumatur ab unitate temporis, cum non producat idem numero terminus diversis temporibus, tamen potest Deus producere totam substantiam motus & mobilis, non quidem secundum continuationem, sed secundum entitatem.

VIII. **Probatur secunda pars:** Quia motus hujus calami idem numero est, si ego ipsum moveam, sive moveat eum Titius vel Angelus, ergo: probatur ant. Est idem effectus in absolutis, sive eum producat causa A, sive ipsum producat causa B, ut superius dixi, examinando, an idem effectus possit produci à totalibus duabus causis divisim; ergo erit etiam idem motus, sive ego moveam calamum, sive ipsum moveat Titius: probatur consequentia, quia ideo est idem effectus productus ab hac vel illa causa, quia supponitur esse eadem numero forma & materia, nihilquæ essentialiter deesse. Sed etiam in utroque motu est idem mobile, idem terminus, nihilquæ aliud requiritur, ergo. **Confirmatur Conclusio:** Quia si ego traherem navim, & postmodum Titius superveniat, & sine interruptione trahat eandem, unus erit motus, & tamen motores sunt diversi.

QUÆSTIO V.

Ad quæ prædicamenta datur motus?

I. *Ingressus ad questionem.*

Olim hæc quæstio apud Galenum & Valesium satis fuit controversa, & etiamnum est hodie, dum alii sic, alii verò sic opinantur, mea mens est quæstionem difficultati nominali esse obnoxiam, in te tamen quid sentiam, brevibus expediam & aperiam: unde controversatur, an ad res, quæ in omnibus prædicamentis continentur datur motus? id est, an motu acquirantur? an verò tantum ad aliqua? & si hoc posterius, tunc quænam sint illa? Ad quam quæstionem divisim respondendo

II. *Ad substantiam ubi datur motus.*

Dico I. *Ad substantiam in prædicamento primo directè collocabilem non datur motus.*

Probatur hæc ex mente Aristotelis & ratione desumpta: Omne, quod in rerum natura movetur, seu ad quod & in quo datur motus, debet esse, sed substantia in prædicamento primo directè collocabilis non est, dum movetur; ergo ad illam non datur motus: patet major, quia nihil moveri potest, nisi existens; probatur minor, nam Aristot. I. Periherm. dicit: *Quod generatur, non est*, sed substantia generatur; ergo, quando ad ipsam deberet dari motus, non est. Dixi tamen in conclusione, ad substantiam in prædicamento directè collocabilem, quia ad substantiam, quæ indirectè & reductivè in eo collocatur, sanè motum dari probat continua mutatio, quod materia ab una forma ad aliam transeat, quæ motu mediante producitur. Et si dicas, materiam non habere

latitudinem successivè percurrendam, nihil dicis, nam imprimis id absolute negari potest, requiri, & si datur, quod requiratur, habet tamen quælibet substantia materialis aliquam latitudinem independentè à quantitate, ut probavi in Logica. Per hoc patet etiam, quid dicendum sit ad Aristotelem, qui supra non obscure docere videtur, ad substantiam dari motum, quia non loquitur in sensu conclusionis, sed indifferentè.

Dico 2. *Ad quantitatem etiam non datur motus proprie dictus.* Hæc ex ratione superiori deduci sic potest. Ut ad aliquid datur motus proprie dictus, debet subjectum prius existere quam moveatur ad id, sed ad quantitatem non existit prius subjectum in probabili sententia; ergo ad eam non datur motus: probatur min. quia quantitas subiectatur in toto composito substantiali; ergo non prius existit, antequam sit quantitas, cum ad productionem totius producat ipsa quoque. Dixi tamen motum proprie dictum, quia motus minus strictè sumptus pro qualibet acquisitione per se alicujus termini, tunc potest dici, quod ad eam datur motus & hoc est, quod universaliter tenetur, quod quantitas acquiratur in augmentatione, ita, ut eadem substantia quæ modò fuit parva, fiat major, &c. Et talis motus non requirit contrarium, quod necessarium existimant, qui ad quantitatem dari motum absolute negant, nam nec qualitas, absolute loquendo, contrarium requirit, cum sufficiat, quod subjectum per motum nunc aliter se habeat, quam antè & defecto contingit, quod aer moveatur ad lucem, quamvis certum sit, lucem non habere qualitatem contrariam.

Dico 3. *Ad qualitatem verò datur motus, si propriè & strictè dictus.* Hanc esse extra controversiam, probant quotidianæ & continuæ experientie, quibus videmus, quod subjecta nunc transeat de calore ad frigus & e contra, de albedine ad nigredinem & e contra, de calore ad læticiam & e contra, & sic de aliis

Dico 4. *Ad ubi extrinsecum datur verus motus, non tamen ad ubi intrinsecum.* Hæc est communior.

Probatur quoad primam partem: Quia reverà acquirit mobile de novo locum extrinsecum, & quidem successivè per ubi intrinsecum, tanquam per acquisitionem formalem non minus quam aqua acquirit calorem. Nec refert, quod locus ille extrinsecus non subiectetur in mobili, hoc enim non requiritur absolute, sicut neque interest, quod non accipiat esse per motum, quantum ad substantiam, sufficit enim, quod quando sit motus ad ipsum, accipiat per actionem causæ efficientis aliquid, unde contineat actu locatum, quod non habebat ante illam actionem.

Probatur altera pars: Quia secundum commune dictum Philosophi; *ad motum non datur motus*, sed ubi intrinsecum est formalissimus motus, quo mobile movetur ad talem superficiem; ergo ad illud non datur motus. Deinde motus debet esse actus entis in potentia, prout in potentia est, id est incompleta, & imperfecta actuatio in illo genere, sed ubi intrinsecum est perfecta actuatio, ergo probatur minor, quia habitu hoc ubi non est

est expectanda aliqua forma perfectior in eodem genere, ergo suo genere erit perfecta actuatio

VI. **Opponitur** tamen **Authoritas** Scoti 3. d. 1. q. 1. dicentis, quod ad ubi datur motus, ergo mala conclusio. Respondeo, Scotum loqui de motu, quatenus coincidit cum actione agentis, non verò loqui de motu mobilis, qualis est ille, qui negatur terminari ad ubi intrinsecum.

Instatur: Quod per se terminat actionem agentis, per motum propriè acquiri potest, sed ex dictis ubi intrinsecum terminat actionem agentis, ergo ad ipsum verè dabitur motus. Respondeo negando ma. nam ad hoc, ut datur motus ad aliquid, præter hoc, quod terminet actionem, debet esse aliquid acquisibile per aliud, & quod non sit ipsa acquisitio essentialitèr.

VII. **Dico 5.** Ad quinq; reliqua prædicamenta, probabile est, dari etiam motum minus rigorosè acceptum. Hæc videtur esse contra communem Doctoris mentem.

Probatur tamen **Authoritate** Aristotelis q. 3. Phy. t. 3. ubi ait: *Quare motus & mutationis tot species sunt, quot entis*, similiter Doctor asserit ad sex ultima dari motum, qui, cum non sit rigorosus dicendus propter aliud dictum Aristotelis, quod ad motum non datur motus, optime explicatur, & intelligitur de motu minus rigoroso. Deinde ad ubi datur motus, ergo etiam ad situm, quia situs est species, ubi, omnis autem species participat rationem generis. De habitu quoque patet, tum, quia ille respectus per se fit & intenditur ab agente: tum, quia unio hypostatica terminat motum secundum Doctorem, sed hæc non pertinet ad aliud prædicamentum, quam habitum; Ergo ad sex prædicamenta datur motus. Intellige tamen indefinitè conclusionem.

QUÆSTIO VI.

An quilibet motus possit fieri in instanti?

Suppono: Generationem viventium instantaneam esse, generationè verò non viventium, nutritionem, augmentationem, alterationem, inter qualitates contrarias & motum localem fieri successivè. Et Ratio de generatione viventium est, quia hæc requirit determinatum subjectum debitè dispositum & organatum, ut non possit in quacunque materiam introducere, quibus dispositionibus positus non requiritur aliqua successio: In generatione verò non viventium, nutritione, augmentatione & alteratione, cum fiant inter contraria, quæ agens limitatè virtutis non potest unica vice mutando superare, sed prius secundam unam partè eamq; viciniorè & postmodum in aliam, necessaria est talis successio. In motu verò locali, tum sunt quoque contraria, ut sursum, & deorsum, tum semper est latitudo, & distantia, quæ unica vice percurrì non potest.

Hoc supposito hic queritur, an omnes enumerati motus successivi possint fieri in instanti? adquè de potentia absoluta; nam naturalitèr fieri non posse, concedunt omnes, Ad quod

Dico 1. Nullus motus successivus, etiam de potentia Dei absoluta, potest fieri in instanti. Hanc puto esse extra controversiam. Et

Probatur: Omnis motus successivus ex natura sua & ratione intrinseca includit respectum, secundum prius & posterius, sed Deus nequit immutare naturas rerum, ergo nequit facere, ut motus successivus fiat in instanti; manifestat, quia per hoc distinguitur motus successivus ab instantaneo: minor etiam est certa, consequentia ergo optima.

Dico 2. Quilibet terminus per motum successivum acquisitus, & acquisibilis, potest divinitus acquiri in instanti: ita Doctor 2. d. 2. q. 11. & 3. d. 2. q. 3. Quem sequuntur Regentes Parisienses, Maltrius & Belletus, ac alii.

Probatur primò: Tota ratio successivis in acquirendis illis terminis provenit ex resistantia contrarii, quod motor & agens non potest in unico instanti superare, sed Deo non est difficile, actionem agentium contrariorum impedire, eorumque resistantiam vincere, ergo Divinitus poterit quilibet terminus in instanti acquiri, major est certa, probatur mi. quia nullum contrarium agere potest, nisi Deo coagente, ergo potest Deus non coagere, & sic impediet actionem eorum, quæ impedirà, poterit statim introduci forma, quod Confirmatur: Quia quò motrix virtus est major & efficacior, eo velocius movet & agit, sed virtus Dei est infinita activitatis, ergo in instanti agere potest, & quacunque introducere formam.

Probatur secundò: Tum, quia Theologi communiter docent, Resurrectionem mortuorum in instanti futuram, sed in illa erunt omnia membra debitè ordinanda & disponenda, suisque organis distingvenda, ergo omnes illi motus fient in instanti; tum quia corpus Christi in utero sacratissimæ virginis Mariæ organizatum fuit, sed tunc omnes motus, qui requiruntur ad adducendam materiam in locum debitum &c. in unico instanti facti sunt, ergo.

Quæres: An defacto aliquis motus, ex enumeratis successivis, fiat in instanti? Respondeo affirmative, ratio est: Quia defacto aer illuminatur in instanti, sed ista illuminatio est aliquis motus ex illis successivis, quia est alteratio, ergo.

QUÆSTIO VII.

Utrum quidquid moveretur, ab alio moveatur?

De Triplici motu moveri potest hæc questio, de intentionali scilicet, quo potentie vitales moventur ad suos actus vitales; emanativo, quo subjecta moventur ad suas passiones;

II. *Motus nequit fieri in instanti.*

III. *Bene tamen terminus per motum acquisibilis.*

IV.

I.

De triplici motu potest moveri questio.

nes; & Physico, quo res movet se ad aliquam formam Physicam; de prioribus duobus non in tantum controvvertitur, unde tota difficultas est de tertio motu, pro quo Nota, dupliciter intelligi posse, agens se movere, vel quatenus est agens univocum, vel quatenus est agens æquivocum, exemplum primi, si calidum formaliter seipsum calefaceret, exemplum secundi, quando calidum virtualiter, reddit se calidum formaliter. Quo præmisso ad quaestionem

II. *dem potest seipsum movere.*
DICO: Idem potest seipsum movere quatenus est agens æquivocum. Ita D. 1. d. 3. q. 7. & c. quam præter suos sequuntur Averſa, Hurtadus, Arriaga, contra Thomistas.

Probatur primò: Quidquid habet principium, producendi aliquam formam, potest eam producere in quocunque subjecto capaci talis formæ, ergo poterit etiam illam producere in seipso, cum præexistat tali formæ, sitque ejus capax, nec in hoc ulla est repugnancia, quia defecto amotis impedimentis grave tendit, & movet se deorsum, aqua semel calefacta reducit se ad pristinum frigus, qui motus aliis causis adscribi non possunt, ut patet ex sæpe dictis, & etiam adhuc dicendis magis patebit; ergo.

Probatur secundò: Potest se aliquid movere, tanquam causa totalis motu intentionali, ergo etiam Physico: probatur consequentia, tum ab omnimoda paritate, cum unum non sit difficilius, quam alterum, ergo tum, quia quod idem non possit seipsum movere motu Physico, tanquam causa principalis, non oritur ex ratione moventis & mobilis ut sic, sed ex ratione moventis talis, quia si oriretur hoc ex ratione communi moventis & mobilis, idem nequiret seipsum movere motu intentionali: probatur etiam principale ant. Quia voluntas potest se movere ad volitionem, tanquam causa totalis, cum ab objecto non verè, sed tantum metaphoricè moveatur. Sed

III. *Opponitur & solvitur Arist.*
Opponitur Authoritas Aristotelis 8. Phys. t. 40. ubi probat, quod omne, quod movetur, non à seipso moveatur, quia alioquin sequeretur, quod totum moveret & moveretur, alteraret & alteraretur, & c. quæ omnia absurda sunt, ergo. R. 1. cum Doctore, Philosophum non agere de movente æquivoco, sed de univoco, nostra tamen conclusio est de agente æquivoco. R. 2. Dictum Philosophi adhuc dupliciter intelligi posse: *Nihil à se ipso moveri*, vel ut non possit aliquid movere se de novo ad aliquid, ad quod non poterat se antè absque dependentia alicujus extrinseci: Vel sic, Nihil posse se ipsum movere, quin moveatur ab aliquo prius, quantum ad recipiendam virtutem motivam ab illo alio, quorum utrumque verum est sed non contra conclusionem.

Instatur: Si Aristoteles voluisset agere de talibus motibus, gratis supra t. 19. dixisset: Omne, quod se movet, debere distingui in partem per se moventem, & per se motam, ergo non in his sensibus, sed absolute dixit, nihil movere posse seipsum. R. negando sequelam, quia in isto loco Aristoteles agit tantummodo

de motu organico animalium, non verò de motu in communi.

Arguitur Ex ratione: Idem nequit esse in potentia, & in actu simul, respectu ejusdem, sed si idem posset seipsum movere, esset in actu & in potentia simul, ergo. probatur mihi quia quod movetur, est in potentia, ut patet ex definitione, quod verò movet, est in actu, quia nihil agit, nisi quod est in actu, ergo si idem moveret se, esset in potentia, & in actu simul. R. dist. ma. sub eadem ratione, concedo ma. sub diversa ratione, diversoque respectu, nego ma. & distinguo etiam minorem, esset in actu virtuali, & potentia formali, concedo min. esset in potentia formali, & actu formali, nego minorem & consequentiam. Itaque verum est, quod idem non possit movere, & moveri actione univocà ad formam ejusdem rationis cum agente, ut: calidum nequit se movere ad calorem, idem tamen potest movere, & moveri actione æquivocà, quando motus terminatur ad formam diversæ rationis, & hoc non modo hic evenit, verum etiam in pluribus aliis casibus, nam etiam dicitur communiter, quod relative opposita non possint esse in eodem subjecto, verum est tamen, quod secundum diversam rationem esse possint.

Instatur: Ideò dixit Aristoteles, idem non moveri à seipso, ut tandem deveniatur ad primum motorem immobilem, scilicet Deum; Nam omne, quod movetur, ab alio movetur, quæro de illo alio, an sit mobile vel immobile, si immobile habetur intentum, quod detur motor immobilis, si mobilis, ergo ab alio est mobilis, & sic consequenter, donec veniatur ad primum motorem immobilem, sed hic diffusio Aristotelis non valeret, si idem posset seipsum movere, ergo. R. 1. negando mi. Quia licet Angelus, verbi gratià, moveatur à seipso in actu secundo, tamen non habet actum primum, seu potentiam ad se movendum à seipso, sed à Deo, à quo habet talem potentiam se movendi. R. 2. Male supponi in majori, quod ex isto principio possit demonstrari Motus primus immobilis, tum, quia rationes supra adductæ contrariè convincunt, tum, quia Aristoteles ipse dicit, animalia seipsa movere & non ab alio.

QUÆSTIO VIII.

A quo levia moveantur sursum, & gravia deorsum?

Non quæro, quodnam sit principium passivum motus gravium deorsum & levium sursum, quia sic certum est, esse ipsam naturam cujuscunque substantiæ gravis & levis, sed est difficultas de principio activo, quod duplex esse potest, quod & quo, Principium quod est illud, quod immediate & per se dicitur causare motum: Quo verò illud est, quod est ratio formalis, quæ mediante principium quod causat motum. In qua materia multiplex omnino est opinio: Nam aliqui asserunt medium causare illum motum, alii cælum, alii generantem, quod posterius communiter tenent

Thomistæ post Divum Thomam I. p. q. 18. a. 1. quos etiam nonnulli Recentiores sequuntur. Econtrâ post Doctorem Subtilem Scotistæ omnes negant generantem movere gravia, vel levia. Eos sequuntur Nominales, Recentiores aliqui, ut Arriaga, Hurtadus, Vasquez, Murcia, &c. quos sequendo interim contra priores sententias

DICO I. *Gravia non moventur deorsum, nec levia sursum à medio, vel à cælo, aut astris, nec etiam à generante. Ita Doctor 2. d. 2. q. 10. Et*

Probatur prima pars. Si medium esset causa motus effectiva gravium deorsum & levium sursum, sequeretur, eundem aërem esse causam duorum contrariorum, sed hoc inconvenientissimum est asserere, ergo. probatur sequela, quia in quantum cederet gravi, causaret motum deorsum, & in quantum cederet levi causaret motum sursum, sed sursum, & deorsum sunt motus contrarii. ergo. Confirmatur, nihil potest seipsum movere actione univocâ, sed si aër causaret motum deorsum, moveret seipsum univocè, ergo. probatur minor, quia causaret cedendo, ergo prius deberet seipsum movere ad celsionem, quia quo aliquid causat, debet prius esse ab ipso causato.

III. Probatur 2. pars. Motus gravium deorsum est naturalis, ergo non fit ab impulsu astrorum, vel ab ipso cælo, probatur consequentia, quia quod fit per impulsu alicujus, fit violentè, ergo, ant. patet ex sequentibus, Confirmatur etiam: Quod fit, & movetur ab impulsu, rejicitur ab ipso impellente & movente, sed levia non remouentur à cælis & ab astris, imò ad illa potius avvicinant, & approximant per ascensum, ergo levia non moventur ab astris, vel ab impulsu astrorum & cælorum.

IV. Probatur tertia pars primò: Potest grave moveri deorsum & leve sursum, etiam generante destructo, ergo isti motus non proveniunt à generante: ant. patet. probatur consequentia ex Aristotele 2. Posteriorum I. I. ubi ait: Effectus in actu dum causatur, requirit causam in actu. Sed generans non est, ergo.

Dices: Generantem non esse in tali casu secundum se, esse tamen secundum suam virtutem, quatenus produxit grave cum omnibus passionibus connaturaliter sibi debitis. Verum hæc responsio facit quæstionem realem, nominalem, si enim ideò generans dicitur movere gravia, quia produxit ea, nullus inficiabitur, sed hoc est plus, quam improprie loqui, si enim hoc sufficit, ut dicatur generans movere gravia deorsum, tanquam principium activum, sequetur, quod meus parens, qui tamen litteras non noverat, producat hanc Scripturam, & me in aquam projecisse, dum semel fluvium navigans incurius in eum incidi, quod longe absuisset à paterna pietate & effectu, imò plura alia similia absurda sequerentur, ut, quod non modò parens meus, sed etiam avus & atavus hæc facerent, quæ risum faciunt mihi.

Probatur eadem pars tertia secundo: Omne grave motum deorsum velo-

cius in fine, quam in initio, ut tenetur communiter, secundum tritum illud: *Motus in fine velocior*, sed si generans moveret grave deorsum, motus in fine non esset velocior, ergo generans non movet grave deorsum. probatur mi. quia generans agit uniformiter in tantum, in quantum potest, ita quòd etiam in principio debeat esse intensior & vehementior, ergo ille motus in fine velocior non potest esse à generante. probatur ant. quia quòd mobile est magis approximatum, sed in principio est maxime approximatum; ergo tunc etiam motus erit maxime velox.

Dices: In motu violento motum in principio esse velociorem, quam in fine, ed, quod impulsus semper deficiat à mobili, quo magis à movente recedit, in motu verò naturali deorsum mobile approximando centro disponi, ut ed melius ab agente impulsu recipiat. Ita Respondent Complutenses, sed insufficienter, si enim agens, & generans intra motum ejusq; durationem moreretur, sicut fieri potest, quæro, à quo tunc proveniret illa major velocitas, non ab gente, quòd supponitur non esse, & esse per virtutem gratis dici, supra ostendi, adeoq; stat argumentum. Deinde datur, quòd generans sit vivens & presens, tunc sic non potest generans causare majorem velocitatem, nisi imprimendo mobili aliquam virtutem, sed tunc non potest ei aliquam imprimere, ergo, tum, quia deberet agere indistans, tum, quia posset ubi deorsum esse extra spheram activitatis agentis. Sed principaliter incontrâ

Arguitur: Quocumque generat ali- quod grave vel leve, tribuit eis proprium esse & omne, quod spectat ad connaturalem eorum dispositionem, sed ad naturalem dispositionem gravium spectat, ut sint deorsum & levium, ut sint sursum, ergo generans eis tribuit ubi deorsum, & ubi sursum, & consequenter à generante movebuntur: Respondeo Distinguendo ma. tribuit eis &c. quod spectat ad naturalem eorum dispositionem in actu primo, concedo ma. in actu secundo, nego ma. & concessa mi. distinguo similiter consequens, & nego consequentiam. Itaque nec esse non est, ut generans tribuat reigenitæ omnia in actu secundo, alioquin deberet habere omnes actus secundos in instanti generationis, quos unquam habere poterit.

Instatur: Projiciens lapidem violentè, tribuit ei, quidquid spectat ad motum in actu secundo, ergo etiam generans. probatur consequ. quia eodem modo se habent generans, & vis ab eo impressa, sicut projiciens, & vis ab eo impressa, sed &c. ergo. R. negando consequentiam cum paritate majoris, quia projiciens per se intendit imprimere talem vim, cum alius effectus primario intentus non sit assignabilis, generans verò non intendit per se, sed per accidens, in quantum intendit producere effectum, cui tantum accidit gravitas.

Urgetur: Quod est in actu primo tantum tale, non potest se reducere ad actum secundum, nisi aliunde determinetur, ergo si non acqui-

VII.

VIII.

Argumentum in contrarium.

non acquirit mobile grave, nisi in actu primo, motum non poterit se in actu secundo movere, sed debet ab alio moveri: probatur consequentia, quia quod est in actu primo tale, est indeterminatum & indifferens, ergo. R. negando ant. & patet ratio ex dictis, deinde ad probationem consequentiae dico, mobile in actu primo posse, vel seipsum determinare, positus certis conditionibus, & requisitis, vel determinabitur ab aliis causis, quae vel concomitantur, vel subsequuntur, aut antecedunt.

IX.
Principia
quibus sunt
gravitas &
levitas. Quae
grave & le-
ve.

Dico 2. Principia Quibus motum gravium, & levium immediata & proxima sunt gravitas & levitas, Quae verò grave & leve. Ita Doctor supra. & 9. Met. t. 17. Et

Probatur 1. p. Si aliquid grave esset impeditum à motu, removeret impedimentum per propriam gravitatem, ut patet, si supponeretur grave alicui afferi, qui propter gravitatem gravis frangeretur, sed non frangeretur, nisi quia grave tendit ad centrum, & principium, quo grave tendit ad centrum, est gravitas, ergo. Confirmatur: Quia illud est ratio formalis alicujus, quo posito ponitur effectus, & quo ablato non ponitur, sed posita gravitate, & ablato quocunque alio ponitur motus deorsum, ergo gravitas est principium quo immediatum motus deorsum. Idem dicitur de levitate. Unde

Probatur 2. p. Quia forma est ratio formalis agendi, cui inexistit, si est accidentalis, vel illius, quod constituit, si est substantialis, sed gravitas est forma gravi inexistens, ergo erit ratio ut quo egendi ipsius gravis, & consequenter grave erit ipsum principium Quod.

X.
Argumentum
in con-
trarium.

Arguitur: Illud debet constitui principium motus deorsum, quod est natura, sed gravitas non est natura, ergo gravitas non erit principium quo motus: major probatur quia natura est principium motus & quietis, minor etiam patet ex dictis, quod primo non inest, sicut inesse debet natura. Sed R. dist. ma. debet constitui principium passivum, concedo, activum, nego; Quia, ut supra dixi, non est controversia de principio passivo, quia sic est ipsum mobile ut quod, & forma mobilis ut quo, sed de principio activo motus, quare respectu hujus motus forma non est principium immediatum & proximum, bene tamen respectu aliorum.

Instatur: Dantur multi motus, etiam locales in gravibus & levibus, qui non possunt provenire, nisi à formis substantialibus, ergo formae substantiales non tantum erunt principium passivum aliorum motuum, sed etiam activum motus localis; probatur ant. multis experientis, tum, quia si infundatur aqua super tabulam siccam valde, aut super folia oleorum, omnes guttae aquae conglobantur in figuram sphaerae, unde etiam, qui scrupulos plumbeos pro Bombardis conficiunt, ea via rotunditatem quaerunt, sed iste motus non potest provenire à gravitate, ergo à forma substantiali, tum, quia si pars ligni viridioris apponatur declive deorsum ad ignem, aqueus humor

ascendit sursum &c. ergo. R. negando ant. ad probationem ab experientis dico, quod illi motus causantur à contrariis, quatenus propter approximationem singulae proprias vires quod ad unum & in seipsis constringunt, ut eo fortius resistere valeant, sicut etiam fieri solet in antipicistasi, unde si accidentia essent sine subiecto, adhuc isti motus causarentur, ut patet in speciebus consecratis, quare hi motus sunt violenti, quia sunt contra inclinationem. R. 2. Omnes tales motus provenire à virtute aliqua omnibus rebus indita, quae virtus, ut conservet subiectum in suo esse, movere illud juxta exigentiam contrariorum, eo modo, quo Conimbricentes concedunt in omnibus rebus dari virtutem quandam ad impediendum vacuum.

QUAESTIO IX.

A quo moveantur projecta violentè?

Per projecta violentè intelligo ea, quae non moventur localitè virtute suà propria connaturali, sed ex eo, quod causa aliqua extrinseca non solum tollat impedimentum motus, sed etiam cum quodam impetu ea aliquid impellat, quare quaestio est, à quo nam moveantur projecta, postquam jam semel projecta sunt, & separantur à causa projiciente, nam dubium non est, quin causa principalis secunda, unde principium motus projectorum oritur, sit ipsamet causa impellens. Prima sententia dicit, quod motus ille proveniat, quantum ad primam partem, à projiciente, illam verò producere aliam, & istam tertiam, tertiam quartam, & sic usque in finem. Secunda dicit: quod proveniat à gravitate, & levitate projectorum modificatis à projiciente, ita aliqui Recentiores. Tertia assignat medium pro causa hujus motus, ita Camerarius citans pro se Aristotelem, Scotum, Divum Thomam &c. Quarta denique dicit: hunc motum causari à virtute quâdam motiva, mobili à projiciente impressâ, quam virtutem impulsivam vocant, ita verò omnes Recentiores apud Maffrium, Pontium, &c. cum quibus etiam resolvendo

Dico 1. Motus projectorum non provenit à motu, aut gravitate vel levitate, aut solo medio. Ita quarta sententia.

Probatur quoad singulas partes, & imprimis prior. Motus localis est ens successivum, cujus partes simul non existunt, ergo dum existit pars posterior, non existit prior & consequenter pars posterior non causatur à priori.

Probatur 2. p. Ab eadem forma non possunt provenire effectus oppositi & contrarii, sed si gravitas & levitas essent causa projectorum, provenirent ab ipsis effectus contrarii, ut patet, dum lapis moveretur sursum, & pluma projiceretur deorsum, ergo. Confirmatur: Quia modificatio non destruit naturam gravitatis, ergo non erit causa, ut grave sursum tendat, sed solum, quod non tam velocitè petat deorsum, sicut peteret, si non esset modificatio. Deinde nequit assignari, quid nam sit ista modifica-

dificatio, à quo proveniat, quomodo fiat? ergo non est asserendum, projecta modificari.

II. Dices: Si gravitas & levitas non possunt modificari, ut ab ipsis proveniant motus contrarii, ergo nec poterit aliqua alia qualitas sic modificari, quam pono infra esse virtutem motivam; probatur consequentia, quia etiam ab ipsa non poterunt provenire effectus oppositi & contrarii. Resp. negando consequentiam cum sua probatione, ratio disparitatis est, quia illa qualitas est de se indeterminata ad motum, tam sursum, quam deorsum, adeoque uterque ab ipsa provenire potest, gravitas & levitas verò sunt determinatæ ad unum certum motum, adeoque per modificationem non poterunt acquirere, ut nunc moveant sursum, nunc deorsum, quia earum essentia non possunt immutari.

IV. Probatur tertia pars ex mente Scoti 2. d. 2. q. 9. In vacuo, si daretur, potest fieri motus successivus, sed in vacuo nullum esset medium, ergo medium non est causa, quod moveantur projecta.

Probatur secundò: Quia videtur incredibile, quod maxima corpora & ponderosissima, qualia sunt lapides, & globi ferrei per solum aërem moveantur, tanquam per causam, quia globi tormentarii etiam contra validissimos ventos feruntur, & quæcunque obvia quatiunt & sternunt, ergo medium solum non est causa projectorum violentè.

Probatur tertio: Si motus projectorum proveniret ab aëre, tanquam à causa, non esset in principio velocior, quam in fine, sed motus projectorum in principio est velocior, sicuti naturalium in fine, ergo non provenit ab aëre: probatur sequela, aër tam in principio, quam in fine est ejusdem rationis, sed quæ sunt ejusdem rationis, æqualiter causant, si habeant idem passum eodem modo applicatum, ergo etiam non possit esse in principio velocior, quam in fine, sed deberet esse semper æqualis. Confirmatur: Si solus aër est causa motus sursum lapidis, sequeretur, quod deberet volare & tendere usque ad spheram ignis, quia est ubique ejusdem rationis, cum non possit assignari ratio, quare hic ipsum potest & non etiam alibi.

Probatur quarto: Si aër est causa motus projectorum, sequeretur, quod plumam deberet fortius impellere & velocius portare, quam lapidem vel sagittam, sed hoc videmus experientia, non fieri, ergo: probatur sequela, quia aër facilis potest agere in corpus leve, quam in corpus grave, ergo. Confirmatur Conclusio quoad eandem partem. Quia navis contra aërem, ventum, ipsumque aquæ decursum remigantium impetu impulsam, desinente remigantium motu, adhuc ad illam partem movetur ad quam erat impulsam, sed non potest dici, quod motus ille ab aëre, aut ab aqua proveniat, cum potius ipsum impediant ad adversam partem tendendo.

F. Amandi Hermann Physica.

Dices: Frequentèr motus violentèr motorum provenit à solo aëre, ergo dicendum est, semper fieri: probatur ant. quia magna campana elevata ab eo sursum, qui funem trahit campanæ manubrio alligatum, & postea sibi relicta non solum descendit ad perpendiculum, sed etiam sursum ab altera parte, & talis motus continuatur diu, sed non potest hic motus alicui alteri tribui, quam aëri, ergo. Resp. negando ant. ejusque probationis mi. quia ille motus, quæ parte est sursum, provenit ab impulsu impresso ipsi ab agente, nam quò fortius trahitur, eò fortius & diutius movetur, quæ parte autem deorsum est, debet tribui gravitati campanæ.

Dixi in Conclusionè aut à solo medio, quia non nego medium aliquo modo concurrere, imò id concedendum est, nam medium juvat tum impellendo à tergo, ut vacuum impeditur, tum, quia quando est ab agente commotum, aequalitèr defert mobile, ut videmus fieri in reculis levioribus.

Dico 2. Motus projectorum principalitèr provenit ab impulsu impresso à projiciente. Hæc sequitur ex prima.

Probatur primò: Quia non est aliud assignabile, ergo. Secundò: Projiciens immediatè per seipsum impotens est, movere lapidem per spatium distans à projiciente, tum quia cum lapis movetur in spatio distanti, projiciens nihil agit in medium, ergo non potest agere in lapidem distantem, aliàs ageret in distans, quin ageret in propinquum, tum, quia si lapide projecto moriatur projiciens, lapis adhuc movebitur, sed tunc non à projiciente, qui amplius non est, ergo debet moveri ab impulsu impresso ab agente.

Opponitur Autoritas Aristotelis 2. Cæli. 3. dicentis: Motum projectorum esse velociorem in medio quam principio, vel fine, sed si impulsus fieret à projiciente, motus deberet esse in principio velocior, quam in medio, ergo projecta violentèr non moventur ab impulsu: major universale quasi est axioma, probatur mi. quia projiciens agit uniformitèr & in medio augmentum in impulsu producere non potest, propter distantiam, ut fateor ipse, ergo. Sed Resp. Aristotelem ibi loqui de motu viventium, non verò de motu inanimatorum, & quod motus noster in medio sit velocior, quam in fine vel principio, inde provenit, quod in principio spiritus vitales & animales quodammodo sint somnolenti & tepidi, & per cursum paulatim excitentur, unde fit, quod in medio cursu sunt vehementius calefacti, atque adeò vigorantur & intensiorem causant impulsu, durante verò diutius motu iterum, ob fatigationem & spirituum exhalationem, languescunt & motus consequentèr fieri debet remissior.

Instatur: Non modò in animatis, sed etiam in non viventibus motus projectorum in medio est velocior, quam in fine vel principio, ergo nulla solutio, & consequentèr motus non

PPP causa-

VI.

VII.

VIII.

IX.

Provenit ab impulsu.

Opponitur & solvitur Arist.

causatur ab impulsu, quia illius intensio non potest assignari causa impulsus, quia alioquin idem seipsum intenderet: probatur aut. Nam rei militaris & fortioris Armaturæ experti, prout ipse frequenter audivi à nobilibus viris militibus præclaris, Tormentum quodlibet, secundum quod magnum est, in proportionata distantia collocari debet, ut murum quater & confringere possit, ita quod si nimis propinquum sit muto perfrigendo, non plus efficere, quam si esset nimis distans, sed hoc non ob aliam rationem, quam, quod non habeat medium, per quod vires suas intendat, ergo etiam in non animatis motus in medio est velocior. Respondeo, si vera est ista experientia, ut puto esse, illam velocitatem majorem non quidem provenire ab impulsu solo, sed etiam à medio, quod propter fortem impetum concurrat ad intensioem motus, ad impediendum vacuum, eò, quod aer vehementer per primum pulsus commoveatur, qui dum incipit languescere, aer etiam non concurrat amplius tam fortiter, ideoque in fine, sicut in principio motus est remissior, usque dum tandem totaliter desinat & cesset.

Urgetur: Si aer concurrat ad intensioem motus, sequetur, quod, quò diutius aer concurrat, eò magis motus deberet intendi, & sic usque ad infinitam distantiam intendi posset, sed hoc est falsum, & contra omnes experientias, ergo: probatur sequela, quia aer ubique est ejusdem rationis, ergo si semel potest intendere semper poterit, & consequenter intendere continuò, ergo: probatur ant: quia non potest assignari, quando nam cessaret intendere, vel cur? sicut nec potest assignari tempus, vel ratio, cur ipse impulsus desinat, cum non desinat per corruptionem subjecti, nec per introductionem contrarii, nec per ullam aliam causam corruptentem, ergo. Respondeo negando sequelam, cum sua probatione, & dico rationem esse, quare aer non semper concurrat ad intensioem motus producendam, quia impulsus à projiciente impressus incipit languescere, ideoque aer non ita celeriter & velociter accurrat, impulsus verò ipse desinit, ex eo, quod non petat connaturaliter diutius conservari juxta conditionem subjecti & circumstantiarum, eò modo, quo desinit sonus, quem negat nemo, nullus tamen aliam affert rationem, cur desinat, nisi quia diutius conservari non exigit.

x. **Dices:** Sed neque assignari potest, quomodo producat iste impulsus, an in instanti? vel tempore? non primo modo, eò, quod habeat contrarium, est enim contra naturalem subjecti inclinationem; nec etiam successivè, seu in tempore, quia tunc esset prius in una parte, quam in alia, cum omnes tamen simul moveantur. Resp. impulsus illum produci in tempore, seu successivè, ratione motus localis necessario requisiti ad projectionem, quia pellens pellendo movet; Nec refert, quod habeatur prius in una parte, quam in alia, dummodò antè projectionem omnes partes impulsus habeant.

QUÆSTIO X.

A quo moveantur corpora, que resiliunt?

Cum motus projectorum fiat per impulsus, seu qualitatem motivam mobili ab agente impressam, ut dixi quæstione præcedente, certum est etiam, motum resilientium fieri per qualitatem impressam, quia sunt etiam violentè reprojecta, nec de hoc supposito priori ulla est controversia, dubitatur tamen de causa, quænam producat hanc qualitatem, quæ corpus facit resilire, an videlicet projiciens, an verò corpus ipsum resiliens. Ad quam postmodum sequitur alia difficultas, scilicet: An corpus resilientium in puncto suæ resilientiæ quiescat, an verò uno eodem motu continuo moveatur à projiciente usque ad ipsam? Utramque difficultatem brevius, quam potero, expediam, unde

DICO I. Probabilius videtur, quod impulsus, quo projectum resilit, causetur à projiciente vel impellente, & non a corpore, à quo fit resilientia. Ita Scotista communiter &

Probatur primò: Quia pila, verbi gratia, projecta contra parietem eò fortius & vehementius resilit, quò fortius & validius fuit projecta, sed hoc non potest aliunde provenire, quam ab impellente, ergo: patet major, quæ est manifesta experientia, probatur mi. quia si esset aliquid, à quo provenire posset, esset paries, sed ab eo provenire nequit, ergo: probatur mi. quia in pariete nihil est, præter duritiem & quantitatem, sed neutra est ita activa; probatur de quantitate, quia alioquin Mathematicus agendo de quantitate, non abstraheret à motu; Neque durities causa esse potest, quia si Deus conservaret corpus aliquid molle in suo esse, secundum quantitatem & figuram, æquè haberetur motus, ac si fuisset ibi corpus aliquid durum, ergo.

Probatur secundò: Omnia, quæ impulsus projectis imprimunt, debent cum imprimere mediante motu, qui est causa vel saltè conditio necessariò requisita, sed corpora, à quibus fit motus reflexus, non moventur antecedentè, ergo illa corpora non possunt imprimere impulsus; major & minor est certa, consequentia ergo est optima. **Confirmatur Conclusio:** Quia reflexio luminis fit ab agente, à quo actione directà productum est, & non à corpore, à quo fit reflexio, ergo etiam resilientia corporis projecti non fit à corpore resiliens, sed à projiciente.

Dices: Motus sursum & motus deorsum distinguuntur specie, ergo non possunt provenire ab eodem impulsu, ergo est diversus impulsus, quo resilit pila à terra sursum, verbi gratia, & quo projicitur vel impellitur deorsum. R. I. dist. distinguuntur specie accidentali, transeat, substantiali, nego ant. & consequentiam. R. negando consequentiam, quia quemadmodum eadem virtus locomotiva animalis potest movere sursum & deorsum, ita etiam impulsus, cum sit ex se indeterminatus, determinabitur porro ab extrinseco.

IV. Per hæc tamen non velim negare, quin corpus reflectens, vel resiliire faciens concurrat etiam, non quidem effectivè, sed per modum alicujus conditionis necessariæ, & hoc quàm maximè patet, quòd corpora projecta non æqualitèr resiliunt ab omnibus corporibus, si enim pila projiciatur contra saccum lanà repletum, verè non facit tantam resilientiam, ut proinde etiam ii, qui in oppugnationibus sese contra Tormentorum vim & conquassationem munire volunt, soleant opponere saccos lanà repletos, ad quos globus tormentarius evibratus plurimum debilitatur.

V. Dico 2. Mobile aliquando in puncto reflectionis quiescit, id tamen non est absolute necessarium semper fieri. Ita Doct̃or quodlib. 12. a. 3. Et

Probatur quoad i. p. Quia si pila mollior seu rarior projiciatur contra parietem, tunc prior pars pilæ priùs tempore tangit parietem, quàm alia, ita, ut per compressionem successivè tangant secundum majorem vel minorem superficiem, ergò piores quiescunt, usquè dum integerint alia, patet aut. quia si eadem pila inficeretur colore rubro, relinqueret partem parietis coloratam, secundum ipsam magnitudinem suam, ergò quievit, quia ad alterationem faciendam necessariò requiritur tempus.

VI. Probatur secundò eadem pars:

Ex quadam experientia sic: Si traheretur una linea in aliquo spatio ab A usquè ad B directissimè, ita, quòd nihil obfret, & altera trahatur similis linea, sed quæ solùm usquè ad medietatem prioris lineæ pertingat, & imaginetur, quòd sit linea A usquè ad C, in C si aliquod corpus resistens & impediens motum pilæ, tunc si per utramquè lineam projiceretur aliqua pila, illa, quæ fuisset directè projecta ab A usquè ad B, citius esset in B, quàm altera pila, quæ esset projecta ab A usquè ad C, antequàm rediret ad terminum A, sed hujus tardioris motus non potest allegari alia ratio, nisi quòd pila in objecto aliquantulum quieverit, ergò, probatur mi, quia suppono, pilas esse per omnia pares, æqualitèrquè motas, & spatium directum non esse minùs, quàm illud, per quod reflexè movetur, ergò. Et hæc experientia si vera est, rationi certè prævalet.

Attamen probo alteram partem Conclusionis: Quia si projiceretur aliquod corpus leve sursum, cui ingens lapis vel aliquod aliud corpus grave obviaret & occurreret, in tali casu corpus leve deberet resiliire & reflectere, sed tunc non quiesceret, ergò, probatur mi, quia si corpus leve tunc quiesceret, deberet etiam quiescere corpus grave, verbi gratià, lapis molaris, sed tale corpus non quiesceret, ergò nequè corpus leve, probatur ma. quia tunc lapis molaris non penetraret corpus leve, & consequentèr si corpus leve quiescit, impedit, quòd minùs tempore quietis lapis ejus occupet locum, ergò etiam lapis quiesceret; probatur etiam minor, quia videtur incredibile, quòd corpus quodcunquè leve, verbi gratià, pluma posset impedire motum lapidis maximi deorsum, ergò.

VII. Pro fine hujus quæstionis, totiusquè disputationis adhuc nonnulla dubia resolvenda erunt, quæ non videntur mereri fufiorem examinationem, quamvis plura difficultate non careant, sunt tamen apud omnes obvia: unda

VIII. Quæres I. An idem possit moveri motibus contrariis? Respondeo, in genere substantiæ, qualitatis & ubi, idem non potest moveri motibus contrariis completis, benè tamen inadæquatis.

Patet prima pars, idem non potest generari, & corrumpi simul & semel, fieri & destrui &c.

Probatur secunda pars: Quia nequit una eademquè qualitas simul & semel intendi & remitti, nec deniq; lapis eadem vice potest ascendere sursum, & descendere deorsum.

Probatur tertia pars: Quia in omnibus viventibus, & maximè sensitivis & rationalibus idem corpus simul & semel crescit & decrescit, ergò idem corpus movetur duobus motibus contrariis; probatur aut. quia calor naturalis depascit aliquid de viventis substantia per suam activitatem, & etiam virtus nutritiva econtrà alimentum in substantiam alitèr convertit defectumq; priorem supplet, ergò idem crescit & decrescit, & consequentèr idem movetur motibus contrariis. Verùm quia in accreatione non modò quantitas, sed substantia etiam acquiritur, ideo videtur idem etiam secundum substantiam moveri posse motibus contrariis, non quidem per quos poneretur, & non poneretur ad esse, sed per tales, per quos transfret à minori ad majorem, vel ab æquali deperdita, ad æqualem acquirendam. Imò si hoc sufficit, posset dici, quòd idem etiam posset moveri motibus contrariis localitèr, si illud habeat ubi definitivum, & sic anima movetur sursum & movetur etiam deorsum, verbi gratià, manu dextrà sursum, sinistrà deorsum, neq; juvat dicere, motus hosce esse inadæquatos, quia licèt verum sit, quòd sint inadæquati respectu corporis, non est tamen verum respectu animæ, quæ non secundum partem sed secundum se totam movetur.

IX. Quæres 2. Unde proveniat, quòd motus gravium deorsum & levium sursum sit in fine velocior, quàm initio vel medio? Respondeo rationem esse, quia gravia in se producent qualitatem impellentem, quæ, quò longior est motus, eò magis augetur, ac proinde in fine, quia magis impelluntur, magis moventur, quæ etiam causa est, quòd grave cadens ex altiori loco plius noceat, quàm si caderet ex demissiori; item ratio est, quòd faciant resilientiam à proprio centro, puta, si lapis, aut globus rotundus caderet ad terram duram, vel saxosam resiliiret contra propriam inclinationem, quem resultum non producit gravitas globi, sed illa qualitas impressa, quàmvis etiam obstaculum concurreret & figura, nam puto si lapis magnus quadratus ex summo aliquo loco caderet, quòd exiguum, imò nullam faceret resilientiam. Sed

Quæres 3. An in projectis idem eveniat? Respondeo negativè, sed motus illorum in medio est velocior, quia usquè ad medium qualitas impressa ab agente non remittitur, ideoquè àer concurrrens ad impediendum vacuum, concurrir etiam ad augendum motum, remittente autem impulsu projicientis, cessat etiam àer fortitèr concurrere, & sic motus iterum elanguescit, ut suprâ dixi.

XI.
Quare unum
projectum
citiùs mo-
veatur alio.

Quæres 4. Unde proveniat, quòd unum projectum magis & velociùs moveatur, quàm alterum? Resp. hoc posse provenire ex pluribus capitibus; Primò si medium sit densius, vel rarius, nam si densum est, magis impedit, quàm si sit rarum &c. Secundò ex parte mobilis, si huic possit imprimi major vel minor impulsus, quemadmodum enim corpus maximum & vires moventis omninò excedens nullatenùs moveri potest, ità pariter si sit aliquod corpus, quòd etiam valdè exiguum impulsu recipere possit, parum, aut nihil movebitur, ut patet de palea, pluma, &c. Tertio deniquè, si Movers fortius vel remissius imprimat impulsu, & suam applicet potentiam & virtutem motivam. Quarto etiam ratione figuræ, quia globus sphericus faciliùs descendit, quàm si esset aliquod corpus planum. Sed

XII.
Unde desu-
matur velo-
citas motus.

Quæres 5. Unde desumatur velocitas motus unius corporis gravioris, præ alio? si su-

prâ nominata omnia sint paria, puta, si lapis centum librarum & alter quinquaginta deiciatur ab eadem turri, eadem vi, per eundem àerem, unde proveniat, quòd unus velociùs moveatur præ alio? Resp. hoc provenire à gravitate majori; & ratio est: Quia idè grave descendit, quia habet gravitatem, ergò idè magis descendit, quia habet majorem gravitatem; ant. patet probatur consequentia: Quia, sicut calor est causa caloris, ità major calor est causa majoris caloris, ergò etiam, sicut grave est causa descensus, ita major gravitas erit causa majoris, seu velocioris descensus. Aliqui Recentiores dicunt, æquali motu pondus majus & minus moveri deorsum, & adducunt pro probatione experientiam, quæ si vera est, prævalebit omninò rationi, de eadem multum dubito.

Quæres 6. Ad quod prædicamentum motus collocari debeat? Resp. Si motus fundamentalitèr consideretur pro termino acquisito per motum, quòd tunc collocari non possit ad unum determinatum prædicamentum, sed ad substantiam nunc, paulò post ad quantitatem &c. Si verò formalitèr consideretur, tunc probabilitèr referri potest ad passionem, non quidem in quantum est correlatio ad actionem; sed prout dicit illud, à quo habet aliquid pati formalitèr. Et hæc de motu ad Motoris æterni qui

Immotus Stabilisque manens dat cuncta moveri,

Gloriam & Honorem dicta sufficiant.

